



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

Quando absolutio differenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

ille suspicetur ex eius generis ornamento, quod à sui ordinis hominibus communiter non gestatur, datum iri certæ personæ signum, ut illum in honesto amore prosequatur, vel ne sic accidat, probabiliter timet: denique cum in hoc peccato hæret, ita vitam instituit, ut nullam vel parvam salutis proximi habeat curam; adeo quidem, ut si quem ex sumptuosis, quibus incidit vestibus, per occasionem misere salutem perdere conspiciat, tamen eum non studeret deponere. Fit deinde non rarò, ut cultus ipse prima fronte ad varias species amoris inhonesti prodendas concinnè institutus sit, easque amorum affectiones varijs coloribus, dum se comit, & promit, vel alio quocunque modo perobscure declaret,

Iam verò non solum absolvere eos non possunt, qui peccato mortali valedicere constanter non decernunt, sed nec illos etiam, qui quamvis asserant peccatum se velle deserere, tamen vna dicunt, videri sibi non se commercium illius esse relicturos, nisi ea velint remedia apponere, sine quibus Confessarius iudicat ad vomitum redituros.

Quando absolutio differenda.

Est præterea consultum, absolutionem differre, donec evidens appareat emendatio in ijs, qui tamen si dicant, ac polliceantur, quod se eximent peccato, tamen Confessario probabilem faciunt metum, ne contrarium contingat. Ex hoc esse solent plerique adolescentes, qui in otio vitam agunt, qui luxui dediti, crapulam, & amores inhonestos sequuntur, qui libidini-

bus pascuntur, verba obscœna proferunt, murmurant, in odijs, ac detractionibus versantur quotidie, & confessionem differunt in ultimos Quadragesimæ dies: Idem faciendum est cum ijs scil. vt differatur absolutio, qui cum multis annos in peccatis suis perdurant, nulla interim adhibita opera in emendationem vitę in eadem peccata iterum atque iterum labuntur.

Deinde, nec eos absoluat, qui cum peccatis mortalibus simul etiam eorum occasiones vitare planè non proponunt. Porrò cum è re Confessarij vel maximè sit, vt quæ sint eæ occasiones perspicuè sciat, paullò de illis loquemur distinctius hoc loco.

Occasio peccati mortalis quæ.

Sub occasionem peccati mortalis omne illud cadit, quod peccandi mortaliter causam administrat, eò quod huiusmodi est, quod vel per se in peccatum inducat, vel eius occasione confitens vsque adeo ad peccandum allicitur, vt certè Confessarius metuere possit, quòd ex peruerso, quem diu induit, habitu in posterum non magis abstinebit, quàm prius à peccato, si in eisdem occasionibus versetur.

Prioris ordinis occasiones, quæ scil. suapte natura trahunt in consensum peccati mortalis, sunt istiusmodi: aleis ludere, cum mortaliter certo, vel probabili periculo animarum; domum tenere in hunc finem alijs paratam; aliquam, cum qua sit peccatum, vel apud se, vel apud alium, suo rogatu fouere, vel quocunque modo in eisdem ædibus habitare, persistere in assidua colloctione, aspectu, quotidiano congressu